



*Ein Buch von den
 neuen Testamenten
 49 Bände in 12 Sprachen*



00

G. 9. 234.

ORATIO
DE FINE HOMI-
NIS HABITA IN SCHO-
LA NOVÆ ARCIS BRENNI
Marchiæ, cùm publicum examen instituere-
tur, Anno reparatæ salutis 1579.
5. Calend. Nouemb.

A

M. Henrico Achemio Scholæ Rectore.

Ὁ ἄνθρωπε τέλει περιέργως σέο μέταλλα
καὶ τέλει εὐρηκῶς πρὸς τὴν ἀνάκλυτε τέλει.



WITTEBERGAE
Excudebant Hæredes Johannis Cratonis,
Anno 1580.

GRATIA

DE FINE HOMI

NIS HABITATI IN SCHOLA

IN A. N. O. M. E. S. A. L. I. S. T. H. E. N. I. S.

M. H. E. N. R. I. C. H. A. N. N. I. S. P. R. I. N. C. I. P. A. L. I. S.

IN A. N. N. O. M. O. N. I. S. S. E. N. T. I. A. E.

IN A. N. N. O. M. O. N. I. S. S. E. N. T. I. A. E.

M. H. E. N. R. I. C. H. A. N. N. I. S. P. R. I. N. C. I. P. A. L. I. S.

M. H. E. N. R. I. C. H. A. N. N. I. S. P. R. I. N. C. I. P. A. L. I. S.

GRATIA

DE FINE HOMI

NIS HABITATI IN SCHOLA



PRVDENTISSIMIS CON-
SVLTISSIMISQVE VIRIS, VIRTUTE
ET DOCTRINA PRAESTANTIBVS, DO-
minis Simoni Carpzovv, Thomæ Storbeck: Michae-
li Iden, Ioachimo Riben, amplissimis Reipub. nouæ
arcis Brenni consulibus, & reliquis eius Senatori-
bus, patronis & fautoribus suis omni vene-
ratione colendis.



*ST pulchrum: pietatis eminentes
Ornatu, Themis & decore noti
Suadelaq; viri nitentis arte
Clari: manibus atq; conuoluto
Telluris cumulo, minacis vnda
Urbs ut flumine tuta conquiescat
Factus igniuomi repellat aris.
Est pulchrum radiantis ære tecti
Aedes condecorare ciuitatem:
Indorum atq; Arabum tenere multa
Sarmenta: & Lachrymas opes olentis
Myrrha: Diuitijs valere multis.
Certe pulchrius impetus & arma
Fctus, spicula, tela verberumq;
Insultus vomitantis hostis atrum
Virus perpetuum trahens dolorem*

A 2 Vitare:

Vitare: ac clypeo cauere posse
Prætentio fidei: Ter ò quaterq;
Felix, quam clypei fides tuetur
Vrbem: Quam decorant suo Camæna
Accessu: decus hoc perenne durat.

Hinc nullum studium magis fatiget
Vllus nec labor, atq; cura nulla
Presset sic animos piè regentum
Ardor quàm stimulans tenere sancta
Effata: (hæc etenim sinu paterno
Nati gratia laudibus celebris
Excussit, stygia genus paludis
Humanum, tenebris lacuq; Ditis
Submersum Superùm vehens ad arcem
Rursum letifico bearet æuo)
Nec non Thespiadum domos tueri
Sedes Palladis atq; castra Phœbi
Sedes Thespiadum piæ cohortis.

Hic ardor stimulauit atq; zelus
Hic vrsit senij decore primos
Fide consilijs modum tuentes
Vrbis: vos laqueata rite templa
Sedes conspicuas Deo sacratas
Maiorum celebri labore structa

Magnis

Magnis integra sumptibus tueri.
Et curare sacras sonare voces,
Voces saluifici sonare verbi.
Zelus palladias fouere sedes
Vos urfit: studijs scholæ dicat as
Altrici pietatis, artiumq;
Matri: nam veluti fragosa sylua
Crebris quam secat ictibus securis
Vastatur: nisi planta pullulabit
Sensim: quæ vacuos scrobes repostæ
Supplebit: secus haud trahendo lapsum
Montes depopulantur & Sionis,
Ni crescant teneræ subinde plantæ,
Ni dulcis foueat Minerva plantas.
Hunc zelum pietatis, atq; veræ
Virtutis: celebrent: decenter æquis
Tollant laudibus: hi quibus Camœnæ
Acres ingenij dedere vires:
At nos haud ferimus notas honoris
Vanas: sed tenues Thalia vobis
Fructus Aonidum referre gestit,
Et finem notat ultimum caducæ
Vitæ qua fruimur: beatus ille
O qui consequitur scopum relati

A 3

Finis

Finis : dirigit & vias ad illum.

Fructu vescimur viri vigentes

Doctrina : & capitote fronte lata

Fructus exiguos : sinuq; cordis

Leto : carpere nam Thalia quondam

Maiores faciet : viri beatè

Sed vos interea salute plenam

Vitam ducite , gratia fruente

Christi : Tendite & hinc ad hanc quietem,

Qua non prapete terminatur suo.

ORATIO



O R A T I O
D E F I N E H O
M I N I S.

PHILOSOPHI RERVM PHYSICARUM periti, optimi auditores, vocabulo admodum concinno hominem μικρόκοσμον paruum mundum appellare consueuerunt. Anima enim eius quodammodo est omnia non ενεργία actu, in primo ortu: sed δυναμις potentia. Siquidem nihil esse dicitur cuius intelligentia eius non sit capax. Sed cum δύσκολα τὰ καλὰ: pulchra ardua sint, vt est apud Platonem in Hippia maiore, & homo pulcherrima creatura existat, cognitionem quoque eius difficilissimam abstrusissimamque esse in confesso est. Verum enim verò cum solida cuiusuis rei intelligentia ex causis dependeat, & sciri credatur, cuius causa tenetur, vt Philosophus 2. cap. 1. post: docet: hominis quoque scientia, qua teste Augustino nulla est melior, ex causis comparanda erit. Quas si indagauerimus efficientem esse Deum illud summum αὐταγαθόν, præter diuinum biblici textus testimonium Gene. 2. vbi Deum formasse hominem de limo terræ legitur, illustri etiam ac euidenti ratione demonstratur. Cum enim homo creatura logicæ facultatis particeps sit, & effectum causam suam arguat, à mente æterna & sapiente architectatrice eundem creatum esse probe concluditur. Impossibile enim est, causam vniuerso genere deteriolem esse suo effecto.

Causa Materialis hominis humus est, ex qua eum à creator re effectum ex capite antea citato eiusdem lib. patet. Quod idem & notationis argumento euidens redditur. Hominem enim plerique sumpta notatione à causa materiali ab humo nuncupatum esse statuunt. Licet autem Quintilianus lib. 1. cap. 6. hanc Etymologiam

Etymologiam derideat, cum absurdum videatur, hominem ab humo dici, quasi non omnibus animalibus eadem origo esset, aut illi primi mortales antè potuissent terræ, quàm sibi nomen imponere: Isidorus tamen 1. cap. lib. 11. Etymolog. affirmat κατάληξις hominem ex altera eius parte ita appellari. Verùm nos non relata Isidori catachrisi, sed authentico biblici textus testimonio subnixi, hanc hominis notationem veram esse, & κατ' ἐξοχὴν fieri asserimus, ob singulare Dei factum, quo ex massa terrestri hominem creauisse legitur. Ob quam nostræ originis gloriam vascula Dei nuncupamur ab ipso Deo ficta, quòd ipse est figulus noster, nos autem lutum eius, Esaia 64. Causæ formalis cognitio, vt aliarum rerum, ita & hominis obscurior est. Nam licet Adamus in formarum scientia vigerit: ea tamen vibigine lapsus, obducta & vitiata est. Quod etiam summi Philosophi lapsus Adæ ignari senserunt. Hinc enim Anaxagoras exclamauit: omnia tenebris circumfusa esse: Hinc Democritus asseruit: veritatem in abyssu quadam altissima iacere demersam. Hinc Socrates dixit, nihil scire se nisi hoc vnum quod nihil sciret. Quæ quidem sapientissimorum virorum querelæ, ad nullum aliud argumentum, quàm solam formam referri possunt. Quæ vt cæteris causis plus confert ad rei constitutionem: Sic quoque cæteris plus confert ad cognitionem effecti, adeò vt sola cognita res cognoscatur, ignorata ignoretur. Quæ licet ita se habeant, hominis tamen forma quæ sit, ex capite iam citato Genesis colligere licet. In quo hæc verba extant: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Inde concludimus, non vt alij somniant, rationem, vel spiritum, formam hominis esse, alioqui Deus, angeli, spiritus, etiam homines nuncupandi essent, sed animam in qua est ratio, & præter hanc facultas vegetatiua, scilicet potentia nutrix, facultasq; sensitua, quæ simul neq; in Deum, neq; in angelos, neq; in spiritus, neq; in alias naturas, præter hominem cadere, possunt.

Hæc

Hæc sunt tria causarum genera hominis, sequitur quartum quod in fine consistit. Finis autem, finis inquam, cum quod pauci illum consequantur, tum quod omnibus, omnium philosophorum temporibus maximæ disceptationes & dissidia de illo extiterint, ambiguus, perplexus & inuolutus videtur. Quod Democritus intelligens res humanas omnes perpetuo risu exhibilauit. Heraclitus verò assiduis querelis, & fletibus deplorauit. Diogenes autem Ironica quadam iocositate res grauiissimas adumbrans luce meridiana laternam incendit, & in magno, quem fecerat, hominum concursu, oculis in terram defixis, diligenter inquirens omnia lustrauit. Astantibus verò ex illo percontationem facientibus quid quæreret? Respondit: Se hominem quærere: Facti procul dubio Ironia innuens, illos hominis titulo non esse dignos, cum ad finem eius non aspirarent. Huc spectare videtur versiculus Stephani de rerum vanitate, qui extat libro primo Epigrammatum.

πάντα γίλως καὶ πάντα κενὸς καὶ πάντα τὸ μηδέν.

Omnia risus: omnia puluis: omnia nihil.

Verùm enim verò vt Democrito risum & sibilos: Heraclito suos fletus et querelas, Diogeni suam laternā cum factis Ironicis relinquamus, finem, metam & Scopum ex sacrosanctis Spiritus Sancti documentis et dogmaticis saniorum philosophorum traditionibus arguemus, et qua ratione ad eam perueniatur demonstrabimus, ad quem homo tendat: ad quem aspiret: ad quē anhellet: ad quem in vniuerso vitæ suæ curriculo omnes cogitationes omniacq; studia impendat: ad quem omnes conatus, omnesq; actiones dirigat, vos auditores, vt corporibus, ita & animis necessaria, vtilia, atq; iucunda auditu percepturi, parumper adsitis, queso atq; obtestor.

Fertur antiqua fabula à sapientibus viris ad posteros per manus tradita, quam Philo Iudæus Alexandrinus homo omnis

B

bus

bus disciplinis eruditus in lib. de plantatione Noæ his verbis recenset: Olim cùm totum mundum opifex absolueret, quendam e Prophetis rogauit: nunquid mundo creato desideraret, siue in terra & aqua, siue in sublimi aëre, siue in extremo cœli ambitu? Respondit ille: esse quidem perfecta & plena omnia, vnum tamen se requirere laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum obscurissimumq; videretur non tam laudet quam enarret. Ipsam enim enarrationem operum Dei laudem esse sufficientissimam, nullo egentem actuario, quando ipsa iufucata veritas sit pro laude cumulatiflima. Hoc responsum patri vniuersorum placuisse fertur, nec multo post exortum genus canorum & Musicum, ex vna diuinarum potentiarum virgine memoria, quam Mnemosynen quidam vocant detorto nomine.

Hæc est priscorum fabula. Ex cuius autoritate dicimus nihil esse Deo magis proprium, quam benefacere: nihil etiam creaturæ, quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat. Nam si quid aliud retribuere voluerit, id inueniet iam antè non ad creaturæ offerentis, sed ipsius omnium creatoris possessionem pertinere. Hæc ille. Quod figmentum licet à plerisque ad ortum poëtarum, qui à Platone ob id θεῶν ὑποὶ ἐπιφύται nuncupantur, referatur, tamen verum hominis finem & summum eius bonum pulchrè & dextrè adumbrat: Qui est agnoscere Deum, & celebrare opera ac beneficia eius. Hunc finem Moses, hunc prophetæ, hunc regius psalter, hunc Apostoli, hunc eundem vniuersa sacra scripturæ elogia confirmant, eundem omnium Philosophorum & poëtarum documenta illustrant, Moses quidem, vbi de creatione rerum 1. cap. Genes. hæc verba refert: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quibus cum euidenter & perspicuè Deum ad imaginem & similitudinem suam singulari consilio & deliberatione hominem creasse, asseratur: hunc non aliorum, nisi ad illud summum bonum proximè accedere, ad creatorem suspicere, eundem agnoscere & celebrare debere in confesso est.

Quod

Quod D. Augustinus in libello de spirit. & anima cap. 30. illustrans inquit: anima rationalis & intellectualis facta est ad imaginem & similitudinem Dei, ut factorem suum pro imagine cognoscat, & pro similitudine diligat. Quod deinde statim cap. 2. eiusdem lib. Genes. Moses euentissima ratione institutionis Sabbati arguit, inquit, benedixit diei septimo & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus ut faceret, ubi notitiam Dei & cultum eidem exhibendum esse finem hominis non obscure demonstratur. Non enim Sabbatum propter oues aut boues, vel alia animalia ἀλογον institutum est, sed propter hominem, ut notitia Dei in eo exerceretur & cresceret, creaturaque logica suum creatorem debito cultu, honore ac celebratione prosequeretur. Hunc eundem finem omnibus ritibus, ceremoniis, sacrificiis, hostiis, victimis & holocaustis idem expressit: Quid quod eundem suauissima sui psalmi cantione egregie illustrauit, quando Deut. cap. 32. decantat. Quia nomen Domini inuocabo. Date magnificentiam Deo nostro. Et ibidem. Hæcine Domino redas popule stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit & fecit & creauit te. Hinc extat grauissima illa querela in Prophe. Esa. cap. 1. aduersus illos, qui ab hoc fine deerrant: Audite cœli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. In hoc summo bono tam egregie tamque magnificè à Mose monstrato, regius Psaltes spem suam figens decantat Psal. 73. Te modò si habeam non curo cœlum et terram, ac etiamsi contabescant mihi caro & anima mea, tamen tu petra cordis mei & pars mea Deus in æternum. Et Psal. 7. Multi dicunt quis ostendet nobis bona, sed tu leua super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiã in corde meo, dum alij vino & oleo abundant. Hæc illustrissima sacrae scripturae de hominis fine testimonia Christus saluator ipse augustissimo suæ

vocis argumento corroborans Matth. 6. inquit: Quærite primum regnum Dei, & omnia adhiæcentur vobis. In quo dicto Christus notabilem finium distinctionem & gradus proponit, qui sanè omnes pariter expetendi, sed non conturbandi sunt. Principaliter enim ad summum illud *αὐτὰραθῶν* hominem aspirare iubet, & aspiranti vbertim alterius generis affluxura esse promittit. Sed tamen nemo vano imaginationum errore inflatus opinetur, hæc bona secularia, *πρωγενήσια* à Stoicis dicta, casu nobis adhiæci & obuenire. Nam hanc *χορηγίαν* aduentitiam & externam & *συντυχίαν ἀγαθῶν* vt Theognis eam nuncupat, quotidianis *ἡσυχῆ* ardentibus precibus à Deo petere debemus, vt agnoscamus eiusmodi res vitæ necessarias non casu spargi, sed ea à Deo creatore omnia dispensante tanquam beatè viuendi adminicula & instrumenta cùm omnibus tùm Ecclesiæ offerri, vt feruiant celebrationi nominis diuini. Hæc enim sine vita, sine hospitij, sine politijs fieri & consistere nequeunt.

Hæc sunt diuina de vero hominis fine elogia, à quibus quæso transeamus ad humana. Nam cum finis vltimus, summa felicitas ac beatitudo hominis in fruitione ponatur, & fruitio vt D. August. lib. 1. cap. 3. de doctri: Christi: eam describit, sit amore alicui rei inhærerere propter seipsam, res verò omnes creatæ ad aliud referantur, rectè sapientes etiam homines concluderunt, summum illud bonum & finem hominis extremum non in creaturis, sed in Deo vt Max. ita opt. increato ponendum esse. Quam ob causam & ipse August. (lib. 1. cap. 3. de morib. Eccles.) post longam disputationem concludit: illud optimum esse solum Deum, cui ardentissimo amore inhærendo, frui eo dicimur. Ad fruitionem autem tria requiruntur, vt idem ait 10. lib. de Trinit. cap. 10. Fruimur cognitio in quibus ipsis propter se voluntas delectata conquiescit. Pone ergo primò cognitionem, quia ea amare quæ ignoramus non possumus. Amor enim relatum secundum dici est, & respicit semper rem amatam. Delectationem autem ponit, quia in hoc acty extremam voluptas

voluptatem experimur. Quietem verò, quia nec in corpore
is bonis, nec in fortunæ, animus hominis acquiescit, sed in solo
Deo. Cuius vt hominis θεολογικωπάτη sententiæ & conclusioni
Plotini responsio suffragatur. Quam si breuiter collegerimus
sic dicemus: supremam hominis felicitatem non in contem-
platione cuiusuis rei, sed solius Dei consistere, & iste vltimus
finis hōinis est, atq; in eius consecutione ac contemplatione felici-
tas existit. Horum sententiæ & alij pleriq; Ethnici homines,
κεκτημένων et principiorum, quæ sunt semina legis diuinæ, ductu
subscribunt. Quod mihi asserenti vt maior fides tribuatur, il-
los ipsos quæso è mollissimo terre gremio sepulchrorum cubili-
bus excitemus: prodeat igitur Plato diuinus Philosophus, &
suam nobis de fine hominis explicet sententiam. Qui si surre-
xerit, hæc verba procul dubio quæ 7. De Repub. fecit, iterabit:
Finem omnium rerum hominem esse, hominis verò Deum.
Finem hominis esse ὁμοιωθῆαι θεῷ, assimilari Deo. Quia dicit,
ὁ μὲν δὴ θεὸς ὡς παλαιὸς λόγος δέχεται τὸ ἐπελάττω καὶ μέσαι τῶν ὄντων
ἀπάντων ἔχει. Deus vt antiquus est sermo principium media-
um & finem omnium rerum habet. A qua præclara clarissis-
mi Philosophi doctrina Aristoteles discipulus non declinauit,
sed illius vestigijs inambulando eam firmo assensu amplectens
illustrauit. Quando 2. Physi. cap. 2. inquit: hominem fi-
nem esse omnium. Et lib. 1. Eth. cap. 7. ὁ δαίμονιον definit. εἶ-
ναι ἐνέργειαν ψυχῆς μετὰ λόγον ἢ μὴ ἀνδρὸς λόγος ἐν εἶω τελείω, esse ope-
rationem animi secundum virtutem in vita perfecta. Quod
lib. 10. cap. 9. vberius interpretatur inquit. ὁ ἢ καὶ νῦν ἐνεργῶν
ἢ τῶν θεραπεύων καὶ διακρίματος δέξασθαι καὶ θεοφιλέστατος εἶναι.
Qui verò muneribus fungitur menti consentaneis, & hanc con-
lit, estq; optimè animo affectus, eum probabile est Deo carissi-
mum esse. Et tu Iambliche accede, quæso & tuum de fine ho-
minis itera elogium. Qui accedens hanc suam sententiam
iterabit: quam in libro de secta Pythagorica reliquit: βί-
ος ἁπλῆς σωτήριος πρὸς τὸ ἀπολαβεῖν τὸ θεῷ omnis vita ordinata est
ad sequendum Deum. Item, θεῶν ἀγία δέχεται τὸ ἐπελάττω μέσον ἢ δὲ
αὐτέχων

εὐτέχεσθαι τὰς μέλλοντας ὁ δαμονήσειν. Diuina causa est principis
um finis & mediū, cui adhæreant necesse est qui volunt fieri beas
ti. Sic ille de fine hominis disserit, Cui omnino consona est egregia
& penè diuina Hieroclis sententia: *τέλῳ βίης θεὸν ποιῆν ἐκ τῆς*
ἀνθρώπου καὶ τὸ δωατόν. finis huius vitæ est, vt Homo Deus fiat
quoad possibile est.

Et Philonis Iudæi Alexandrini: *Ὁρχῶν δέριση ἐ δαμονίας ἡ πρὸς*
θεὸν ἐξομοίωσις. Votorum summa & felicitatis finis est reddi Deo
similem.

Et tu Pythagora itera nobis tuum aureum carmen, & finem homi
nis sub veneratione & cultu Deo exhibendo adumbra:

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεὸς, νόμῳ ὡς δίακειται, τίμα
Primūm Deos immortales, vt lege sancitum est, cole.

Sed tu ὁ Xenophon dic nobis huius cultus causam,

Ὁ δαμονέστεροι ἢν θεραπέυσσι τὰς θεὸς ἄνθρωποι.

Nam feliciores sunt homines si Deos coluerint,

Et tu Phocylide prodi, prodi inquam & tuum quoq; recita suf
fragium.

πρῶτα θεὸν τίμα: μετέπειτα σέιο γονῆας.

Primūm Deum cole, deinde tuos parentes.

Accede & tu Isocrates Orator magne & nobilis ac reuera poëtis
cum illud in facultate oratoria: *Ἀμαλθέας κέρας: Amaltheæ*

cornu: accede quæso & tuam nobis ad Demonicum παραίνε
σιν de religione, & cultu Deorum itera:

πρῶτα μὲν εἰ δὲ σέβει τὰ πρὸς τὰς θεὸς.

Imprimis igitur Deos immortales religiosè colito:

Et tu Virgili poëtarum Romanorum nobilissime, tuum quoq;
adijce calculum.

Imprimis venerare Deos:

O Virgili dic illius venerationis causam:

Nam merito pietas homini tutissima virtus,

O pientissima piæ venerationis causa.

Hæc sunt grauissimæ sententiæ & philosophorum & poëtarum
de fine hominis, Quæ luculenter docent in hisce Ethnicis

non

non *ὡς βίαιον* pietatem ; & in fine suo respiciendo conatus , sed *θεογνωσίαν* veram Dei cognitionem desideratam fuisse.

Verum enim verò dicat quispiam nos finem hominis tantum testimonijs , argumentis *ἀτέχνους* demonstrare , quæ per se nihil probant , nisi robore argumenti alicuius primi suffulta sint , & ob id oratoris quoque suffragio , non tam authoritatis in disputando quam rationis momenta quærenda esse. Nam ut Lactantius ait lib. 2. cap. 7. diuina : institit : cum sapere (veritatem quærerere) omnibus innatum sit , sapientiam sibi adimunt qui sine iudicio inuenta maiorum probant , & ab alijs pecudum more ducuntur.

Cui profectò hac ratione rationes expetenti non testimonijs , sed rationibus *τεχνικωτὸς τοῖς* respondebimus , rationesque rationibus infringemus. Veni igitur Epicuree cum simili hominum tui farina lurconibus , heluonibus , ventribus , atque nostram de fine hominis sententiam allatis rationibus euerte. At si prorepseris , hæc de fine hominis effuties : voluptas est finis hominis , & non virtus relata ad Deum. Subijce quæso rationem : Quia dices , humana natura vltro ad voluptatem tendit. O stolidi inepti Philosophi ratio. Elenchum enim distributionis partit & totius committis , & à dicto secundum quid ad dictum simpliciter procedis. Siquidem non integra hominis natura , sed tantum pars animæ appetens ad voluptatem fertur. Altera parte animæ cognoscente , repugnante. Quæ licet aliquando affectuum tyrannide superata cedat cupiditatibus , attamen ipsa ab ijs abhorret. At replicabis , voluptas nihilominus est finis hominis , quia naturam conseruat : virtus verò destruit. Sed inquam paralogismum constituis & accidente fallis. Voluptas enim non seruat naturam per se , sed per accidens , nec semper , sed ad tempus. Siquidem eam sapissimè tragici conscientiae terrores sequuntur , qui humanam naturam destruunt. Quamuis autem virtus non sua quidem natura , sed maleuolorum hominum odio & inuidia indiuiduum aliquando destruat , speciem tamen semper conseruat. At

At forsan te retrorsum retorquebis gravem odorem exhalaturus
& Hydra eris, cui uno capite resecto vel centum repullulant,
nostramq; assertionem hac ratione destruere conaberis: virtus
relata ad Deum non est finis hominis. Sed, inquam, affer
tuæ destructionis machinas & arietes. Quia dices, sola vir
tus non obtinet rationem optimi cuiusdam, cum coniuncta cum
secunda fortuna aura magis expetatur: & duo bona coniun
cta optabiliora sint vno, vt & ipse noster Antagonista Aristote
les 10. lib. Ethicorum cap. 2. fatetur: inquiring: πᾶν γὰρ μὲν ἐπι
πρὸς ἀγαθὸν ἀπετάσσον ἢ μόνον, omne bonum coniunctum cum
alio expetibilius est, quàm solum.

Sed inquam hebeti somnio somnias, Elenchos elenchis exag
geras, & σοφισμανίας ἔδοξομανίας tuam prodis. Deus enim ad
quem virtus refertur bonum αὐταρκές & indefinitum est, quod
nullius alterius boni adiectione augeri aut detractioe minui
potest. Quamuis autem bona duo coniuncta magis expe
tantur, id tamen suo ordine & modo fieri necesse est, ne præ
stantius amittatur, si ambo coniungi non possunt. O mansues
tiores Musæ, o Charites hanc Epicuri phrenesin & Melans
choliā istam constringite, mitigate, morbum tam contagios
sum, tamq; perniciosum ab omnibus hominibus auertite. Ves
rūm biliosus & stomachosus vrgebis, nullam cælestium numi
num iram perhorrescens obstrependo: nullum numen
ab hac sententia me detrudet, siquidem vno capite mihi res
secto, aliud cum bona ratione succrescit: voluptas enim est
finis hominis. Nam in ordine honorum vltima est. Quia
virtutem sequitur quies, tranquillitas & lætitia animi, vnde vo
luptas existit. At inquam gloceras vel potiùs cacabas. Nam
perdici similis capite sub cespite tecto totum corpus contectum
opinari: sed videris, sophisma cernitur, cauillationes depre
henduntur, præstigiæ tuæ conspicuæ sunt. Cacabas enim & lu
dis vocis amphibologia. Licet autem virtus quam ad Deum
referimus debeat rationem vltimi obtinere, tamen id non in
telligendum est de tempore, ad quod tu detorques, sed de emis
sionem, honore ac dignitate. Sed

sed silentio iam prætereo validissimas ipsius Aristotelis, cuius auctoritate antea nisus es, rationes, ad infringendum tuum dogma. Qui lib. 7. cap. 12. ait: voluptas non est finis hominis, & summum bonum, quia habet rationem ortus, & non finis: quia officit virtuti, nempe temperantiæ: quia eam quidam fugiunt & auersantur: quia denique pueri & animalia ἀλογα ratione carentia eam persequuntur. Quiesce igitur ô Epicuree cum tua putidissima assertionem: quiescite ventres, quiescite lurcones, quiescite omnes omnis voluptatis assertores.

Verum hac hydra herculeis firmorum argumentorum scissis deuiecta, suppressa, interfecta, hac perdice optimis rationis us capta & necata, alia forsitan hominum sentina reuiuiscet, rorepet, obijcietur: Honorem esse summum bonum, & finem hominis extremum. Quia inferent, Aristo. 1. Ethico: ap. 4. ait: *τιμὴν ἔστιν ἡ πολιτικὴ βίσις σχεδὸν ἔτι τὸ τέλος*, honorem ferè politicæ vitæ finem propositum esse. At expergisce te quaeso, quicumque hoc modo intuleris, & animum circumspectius in verba philosophi intende: Non enim quod affers est ratio: sed *λογομαχία* & crocitatio.

Ille enim hæc verba non recitat *καταφάτικως* affirmatè, sed *μιμητικώς* ad imitationem opinionis politorum hominum. Et eodem in loco subiicit: honor non est summum bonum, quia est bonum alienum & non proprium. *Δοκεῖ γὰρ, ἰνὸν τῶν τιμῶν μᾶλλον εἶναι ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ*, videtur enim magis in honorantibus esse quàm in honorato. Quid quod honor bonum est infirmum, caducum & fluxum, cum illud summum bonum & finis extremus constans fixusque debeat esse.

Sed & hac hominum sentina exhausta ni fallor alij resurgent, atque diuitias hominis extremum finem esse contendent, cum illæ ab omnibus flagranti studio expetantur. At hi attentius caput antea citatum Philosophi legant, cui insertum est: diuitias non esse finem hominis extremum: ratioque annexa: quia per illas sæpius alijs vis infertur. Quod præclarum *Τὸ*

C

mandridæ

mandridæ Lacedæmonij dictum arguit, apud Aelianum lib. 14.
var. hist. Qui cum ex longa peregrinatione reuersus rem fami-
liarem longè auctiorem reperisset, quàm reliquerat, ad filium
conuersus multos Deos hominesq; ab eo iniuria affectos affir-
mare ausus fuit, necq; enim aliter tantas opes cum congerere,
vel etiam asseruare potuisse, Immò audiant illud Isocratis:
πλεῖστον γὰρ κερκίας μάλλον ἢ κολακείας ὑπερήτης εἶναι. Dis-
uitiæ vitij magis quàm virtutis ministræ sunt. Et illud Me-
nandri in κολακεία.

ἰδέσθαι ἐπὶ πλεῖστον ταχέως δίκην ἔχοντων
ὁ μὲν γὰρ αὐτὰ συλλέγει, ἔφείδεται,
ὁ δὲ τὴν πάλαι τηρῶν τ' ἐνεδρεύουσιν πάντ' ἔχει.

Nemo subito ditescit iustus existens:

Hic enim sibi colligit, & parcit:

Ille verò diu seruanti insidiatus omnia tenet.

Valeat igitur voluptas, valeat honor, valeant diuitiæ, valeant om-
nia aliorum de fine hominis somnia ac delyria: Maneat vnus
scopus metaq; homini præfixus Deus: vt Max. ita Opt. ad
quem collineet, ad quem per virtutis exercitium tendat & aspice-
ret. Percurso iam priori nostræ metæ stadio, ad posterius pro-
peremus, qua ratione homo finem hominis tam authenticis
Theologiæ, quàm illustribus Philosophiæ documentis iam con-
firmatum, consequi possit declaraturi.

Anima hominis sumpta distributione à subiecto diuidi-
tur εἰς μέρος ἡνωτικόν, in partem intelligentem: ἔφρεστικόν, appe-
tentem. Inter quas licet ante lapsum summa fuerit consensio
ac harmonia: corruptio tamen humanæ naturæ perpetuum dis-
sidium, litem & pugnam ijs inuexit. Quamuis enim ratio
(Dæmon ille bonus, qui omnia bonorum, dicta atq; facta mo-
deratur) semper ad optima hortetur, vt Philosophus in Ethicis
docet: Tamen appetitus τυραννὶς ἀκόλαστος, tyrannis licens
giosa, aliofsum vergit: & illud rectæ rationis iudicium secum rap-
pit.

pit, non secus ac equus indomitus fessorem, & vt Poëta ait:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas:

Hinc orta est illa fabula Hesiodi de Pandora, quæ voluptatem & obiectum delectabile adumbrat. Quam licet in has sedes à Ioue missam Prometheus (recta ratio) Epimetheo fratri (appetitui) dissuaderet, ne susciperet: Hic tamen, illius dicto non audiens, eam *δολον ἀπὸ ἀμήχανον*, vt ille ait, accepit.

Quæ deinde, remoto pixidis, quam gestabat, operculo, omnia mala in mundum euolare fecit. Hinc figmentum de Bellerophonte originem traxisse constat.

Qui non potuit equum suum Pegasus frenare, priusquam ei aureum Palladis frenum iniiceretur.

Hinc Homerus 7. lib. Iliad. fingit Achillem gladium stringentem Palladi retraxisse.

Hinc nimirum est illud *κακοπαδὸν* hominis, quod Aristoteles omnibus rebus adhærere scribit. Quam rectæ rationis & appetitus pugnam, affectuumque tyrannidem voluntatem cum recto iudicio rapientium Cicero sentiens, *Ἰσοφωμηματικῶς* exclamat: ô me nunquam sapientem. Et Medea apud Ouidium:

video meliora proboque

Deteriora sequor:

In quas Ethnicorum hominum sententias & inuolucra Paulum Christi Apostolum ire constat, vbi ad Roma. cap. 7. inquit. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Verum enimvero vt hoc harum duarum partium animæ, per corpus dispersæ, dissidium tollatur, illa virtutum habitu imbuenda est, quò appetitus cohibeatur, frenetur, reprimatur, ne iudicium ac hortationem rectæ rationis fastidians, secum rapiat, aliorumque vergat.

Virtutum autem ad Ecclesiam Dei spectantium principium & causam Spiritum sanctum esse piè & rectè asseritur: philosophicarum verò præter principales causas efficientes mentem

C 2

hominis

hominis, & voluntatem : σώεργα φύσιν naturam : μάθησιν doctrinam , & ἀσκησιν exercitationem constituimus. Homo autem creatura Deo creatori tantum per virtutis praxin assimilatur, quæ ad normam rectæ rationis informatur, ut Aristoteles, quem veræ Christianorum virtutes fugerunt, li. 6. Ethic. ca. 13, affirmat: inquisens : ἔ γδ μόνον καὶ τὸ ὀρθὸν λόγον, ἀλλ' ἢ καὶ τὸ ὀρθὸν λόγον ἔχεις δευτέριον. Non. n. rectæ rationi consentaneus solum, sed etiam cum recta ratione coniunctus habitus virtus est. Rectæ autem rationis iudicium est quiddam congruens cum norma in mente diuina. Quod Plutarchus admodum perspicue docet, ubi inquit: πευτόν ἐστι τὸ ἑπείθεαι θεῷ ἢ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, idem est sequi Deum, & parere rectæ rationi. Et Plato quando ait: summam philosophiæ esse ut affectus obtemperent rationi tanquam regi. Hinc Empedocles legem naturæ ita descripsit:

Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον Διὸς τὸ εὐρυμέδοντ'
 Αἰθέρα ἡ ἰωνεκέως τίταται Διὸς τὸ δὲ πλεῖστα αὐγῆς.

Sed illud primum legitimum (prima lex) continuo extenditur, per late regnantem æthera, perque incomprehensibile splendorem.

Vos igitur, vos inquam, homines compello, qui de gloriosissima augustissimaque hominis dignatione laboratis, finem hominis respicite, ad eundem tendite, aspirate, anhelate: virtutem quæ ad finem ducit utraque, quod dicitur, vlna excipite, amplectimini, exosculamini, colite. Pro quo fine suo tenendo seruandoque omnes obtestor eo carmine, quo diuinus ille vates apud Ouidium Troianos pro sua Pallade obtestatur:

Aetheream seruate Deam: seruabitis urbem:

Imperium secum transferet illa loci.

Quem finem ut & nos teneamus atque seruemus, Deo summo atque infinito bono ac fini nostro extremo finem huius orationis ut & principium & medium consecrabimus: supplices manus ei tendentes: votisque ex intimis cordium nostrorum thalamis erumpentibus, ab eodem efflagitantes, ut pectora nostra, sacratissima Spiritus S. aura vero verarum virtutum principio, causaque perfundat

dat

dat, mentesq; irriget, ne prauitatis, aliorumq; finitū errore imbutę
à summo illo bono, vnico nostro fine declinent, sed ad illum in
hac vita aspirantes olim perueniant, eum consequantur: eum
coram intueantur: Deniq; eo cum omnibus Angelis & beatif-
sima sanctorum societate in æternum fruantur, latentur, acqui-
escant.

D I X I.

P R E C E S N O S T R A E S C H O -
L A E M A T V T I N A E.

*S*unt elapsa tuo tenebrosa tempora noctis:

Estq; reducta tuo numine leta dies.

Sancte Deus: sanctum Phœbi cum limine lumen

Illustret vera pectora nostra fide.

Pectora quę sitiunt sacratum numine flatum

Oris & augusti roscida verba tui.

Nam benè sic artes norint, sic discere linguas

Quę sunt eloquij fida ministra tui.

Gloria doctrinis tua sic infusa vigebit:

Fausto sic nostrum sidere cedit opus.

Cedit opus: cedes studij labor improbe vestri:

Cedetis nostra vota precesq; scholę.

Lux ita praterat caca caligine menti

Spiritus æterni lumina clara ferens.

Hesperus hinc ara vitulis hedisq; repleta

Suffitum grato reddet odore tibi.

C 3

Sancte



*Sancte Deus tibi: discretis educta labellis
Hostia diuinam glorificabit opem.*

U E S P E R T I N A E.

*Hesperus accedit promissi conditor aui,
Sancte Deus nobis laude uehendus eris.
Sancte Deus grato quoniam cum lumine Phœbi,
Lumine lustrasti pectora nostra sacro.
Spiritus hinc sancti sancto madefacta liquore,
Artibus & studijs Pallados aucta vigent.
Hinc præceptorum non est labor irritus, & non
Frustrà sunt nostra limina trita scholæ.
Ergo pio sacras gressu properamus ad aras,
Quò tibi suffitus: quò tibi fiat odor.
Fiat odor tibi sancte Deus non carne cremata:
Oris sed nostri carmine fiat odor.
Carmen erit celebrans diuinam gloria laudem:
Gloria quam comitans iugiter ornet honos.
Gloria sancte Pater tibi sit: tibi gloria Fili:
Gloria Spiritui sit tibi sancte Deo.
Hanc tibi cantemus præsentem ducere vitam
Dum licet: hancq; tibi secla futura sonent.
Sic tibi decurrent concessa tempora vitæ,
Sic laudem dicent altera secla tuam.*

F I N I S.





65689


Ans: 65 689


ULB Halle 3
000 689 173



Sb







ORATIO
DE FINE HOMI-
NIS HABITA IN SCHO-
LA NOVÆ ARCIS BRENNI
Marchiæ, cūm publicum examen instituere-
tur, Anno reparatæ salutis 1579.
5. Calend. Nouemb.

A

M. Henrico Achemio Scholæ Rectore.

Ὁ ἀνθρώπε τέλει περιέργως σέο μέταλλα
καὶ τέλει εὐρηκῶς πρὸς τὴν ἀνάκλυτὴν τέλει.



W I T E B E R G A E
Excudebant Heredes Johannis Cratonis,
Anno 1580.

